



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Vigesima octaua Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**



suo, & ecclesiæ fundatione, nihil certi aut verisimile habent Canonici Molhanienses. Tumba sancti ostenditur, foris deaurata, sed omnino vacua. Nec quicquam de reliquijs superest, ob crebras bellorum incursiones, expilationes, & direptiones. Habitant enim in finibus Belgij, non procul à Mariæ burgo, duobus milliaribus à Giueto. Hoc vnum constat, ecclesiam ipsam vetustissimam esse, & in diocesi Leodiensi non extremum locum tenere. Vnde à Decano Decanorum Leodij fortassis aliqua de eo, & fundatione ecclesiæ eius cognosci possent, eo quod is omnium ecclesiarum Leodiensis diocesis fundationes conseruare dicatur.

### Vigesima octaua Augusti.

#### *De translatione beati Hermetis martyris Rothnacum*

*Ex Ordinario Rothnacensi, & rescripto domini Laurentij Backereel, Rothnacensis.*

**R**omæ, natalis beati Hermetis. viri illustris, qui, vt in actibus Alexandri Pape legitur, à beato papa baptizatus, cum vxore & filijs, ac sorore Theodora, & cum eo pariter mille ducenti quinquaginta serui eius: vxores quoque & filij eorum, prius ingenuitate ipsis concessa: at non multo post gladio cædente, martyrium est adeptus. Huius corpus Lotharius Imperator Româ attulit, & ad tempus collocauit apud Aquigranum in sancti Cornelij monasterio, villæ Indensis alium locum honorificum præparans. Qui opere imperfecto Pruniæ monachus est effectus, & paulo post obiit. Filius autem Ludouicus, patris voluntatem adimplere volens, asportari fecit ad monasterium Canonicorum de Rothnake anno octingentesimo sexagesimo: <sup>a</sup> Habeturque eius loci fundator secundarius, primarius

*Actus Alexandri,  
3. Maij.*



Augusti 29.

NATALES

rius enim iam ante fuerat sanctus Amandus, Danis autem sub Othone Dei casas incenditibus, beatus Hermes Indam est relatus. Vnde rebus ecclesie pacatis, Rothnacenses thesaurum hunc pretiosum recuperare nequiuerunt, nisi summis cum molestijs, & interueniente Fulberto episcopo Cameracensi, de cuius parochia translatus fuerat. Fratresque Rothnacenses pro tanti beneficii recompensatione, libenter Cameracensi ecclesie obtulerunt villam *Nieuwen-houen*. De translatione sunt verba propriae ecclesie pridie Nonas Iulij. *Ipsa die, translatio corporis sancti Hermetis martyris in Rothnaco*. Hanc Chorus Canonorum celebrat: natalem verò totum territorium Rothnacense, quod etiam Rotornacum dicitur & Rothnasce, Flandricè, *Rons*. Fuitque olim abbatis Indensis, villa Brabantiae, diocesis Cameracensis. Sed diuenditum Guidoni Comiti, accessit Flandriae. Et à nupera multiplicatione episcopatum, transijt ad limites nouae Sedis Mechliniensis. Locus autem est celeberrimus, eo quod multi peregrini male affecti, ad S. Hermetis memoriam aduentent, & frequenter restituti ac sani discedant. Caeterum reliquiarum aduentum refert Sigebertus ad annum octingentesimum quinquagesimum primum. In vetusto quodam Martyrologio annotatum obseruaui quarto Idus Ianuarij aduentionem S. Hermetis martyris apud Indam. Quod an de primo, an de secundo aduentu accipiendum sit, ignoro.

a. *Vide Mey. eo anno, & Chron. Cameracense lib. 1. c. 75.*

Vigesima